



Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1856

XV. Bischof Friedrich von Brandenburg vereinigt die Kirche zu Burg mit dem Stifte U. L. Frauen in Magdeburg, am 18. Februar 1308.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54716)

Consoles extiterant, scilicet hi: Heinricus Pingvis, Zabellus de Monte, Tidericus dictus Springintgut, Henningus de Yden, Mas Auriga, Martinus de Ifenack, Henningus de Stendal, Bodo filius Germodis et alii quam plures fide digni. Datum anno Domini M. CCCVIII. feria Vta proxima post festum Pentecostes.

Nach Olearii Magdeburgischem Copialbuche vol. 2, p. 213.

XV. Bischof Friedrich von Brandenburg vereinigt die Kirche zu Burch mit dem Stifte
U. L. Frauen in Magdeburg, am 18. Februar 1308.

In nomine sancte et indiuidue Trinitatis. Fredericus, Dei gratia Brandenburgensis Ecclesie episcopus, Johannes prepositus, Waltherus prior, totumque capitulum eiusdem ecclesie, uniuersis tam presentibus quam futuris in uero salutari salutem, et sinceram in domino karitatem. — Postquam ex quadam permutatione ius Patronatus ecclesie parochialis sancte Marie in ciuitate Borch et ipsius appendicis ecclesie sancti Nicolai dyoc. Brandenburgensis ad honorabilem uirum dominum prepositum et ecclesiam seu monasterium beate Marie uirginis in Magdeburch, ordinis premonstratensis, titulo permutationis fuisset translatum, considerantes qualiter prefata ecclesia sancte Marie tam iugiter quam preclare pre ceteris sit dotata ac presulgeat corpore reuerendissimi patris Norberti, qui ibidem memoriter tumba requiescit, attendentesque, quomodo nostra ecclesia cum similibus salutiferis gaudet et fulcitur edictis Norbertinis, cupientes nunc oportuno tempore predictam ecclesiam beate Marie aliquo speciali salutare, ad Dei patris omnipotentis ac ad laudem alme uirginis Marie, iam dicte ecclesie patrone, nec non ad decorem serenissimi patris Norberti, ex multa deliberatione dudum prehabita, in cupiditatis memoriam in futuro uolumus et ordinamus infra scriptam nostram ordinationem ac incorporationem inperpetuum ualituram: uidelicet, quod Plebanus quicumque seu rector ecclesie prefate in Burch, qui pro tempore fuerit XL. marcas argenti Stendaliensis Magdeburgensis ponderis supradictis preposito, qui pro tempore fuerit, et ecclesie sancte Marie singulis annis in perpetuum et cunctis temporibus seculorum de redditibus et prouentibus ipsius ecclesie parochialis in Burch, ad usum prefati prepositi ac ipsius ecclesie persoluet, presentabit, donabit atque dabit ad diem beati Martini hyemalis, quas marcas XL. ad usum dicte ecclesie in Magdeburch sancte Marie incorporamus: Ad quam etiam prestationem et persolutionem reddituum XL. marcarum predictarum sepedictis preposito et ecclesie, ut premittitur, libere sic pie faciendam omnem, qui in dicta ecclesia parochiali Plebanus seu rector ecclesie parochialis inuentus fuerit, aut se pro Plebano uel rectore gesserit seu habuerit, cuiuscunque status uel conditionis fuerit, singulis annis nunc et in perpetuum uolumus obligari. Si uero quocunque modo talis rector prefate ecclesie parochialis contra predictam nostram ordinationem et incorporationem uenerit, aut in solutione predictarum marcarum negligens seu rebellis fuerit, aut quicquam fecerit per se uel per alium aliqua causa uel ingenio, de iure uel de facto, sub pena dupli dicte summe pecunie et refectione dampnorum et expensarum litis et extra ad predicta sciat se teneri et pena soluta uel non, predicta omnia et singula rata et firma permaneant et perdurent. Ne igitur beneficium, sicut premittitur, gratanter factum, fiat nobis et ecclesie Brandenburgensi inposterum inutile

et dampnosum, in omnibus premissis, prout narrata sunt, et narrantur, iura episcopalia ecclesie nostre Brandenburgensis ac prepositi eiusdem ecclesie et loci in uniuersis et singulis, et in kathedratico, synodatico et synodalibus suo tempore dandis et prestandis non obstantibus nec preiudicantibus premissis nobis retinemus semper salua. Ad hec addicimus quotiencunque quandocunque et ubicunque ab episcopo Brandenburgensi, qui pro tempore fuerit seu ab ipsa ecclesia Brandenburgensi contigit fieri in ipsa dyocesi Brandenburgensi in clericos seu clericos precariam exactionem seu subsidium generale uel speciale, ex nunc prout ex tunc precariam exactionem seu subsidium quoad estimationem C. frustorum redituum nobis et ecclesie Brandenburgensi retinemus. Hoc est, predicta ecclesia sancte Marie in Magdeburg, una cum prefata parochiali ecclesia et sua appendicia in Burch seu rectore eiusdem ecclesie in Burch, qui pro tempore fuerit, nomine ipsius ecclesie parochialis pro C. frustis in tali precaria exactione seu subsidio contribuere et soluere tenebuntur, nobis et ecclesie Brandenburgensi, que summa C. frustorum fuit est et erit uetus et antiqua estimatio ecclesie in Burch prelibate. Item eundem Plebanum seu rectorem ecclesie ad mandata nostra recipienda et alia exequenda, et ad omnia alia et singula facienda, que subditi nostri et ecclesiarum rectores seu Plebani nostre dyoceseos nobis et ecclesie Brandenburgensi faciunt et obediunt, uolumus esse alstrictum et obligatum. Testes predictae ordinationis et incorporationis sunt honorabilis uir dominus Otto de Brena, canonicus et cellerarius ecclesie Brandenburgensis, dominus Johannes, prepositus ecclesie Brandenburgensis, Johannes de Milaw, canonicus regularis eiusdem ecclesie, frater Henricus dictus de Apelt, sanctorum fratrum minorum in Magdeburg, Albertus dictus Strom, notarius noster, et alii quam plures fide digni. Preterea protestamur, imo specialiter nobis reseruamus et retinemus, quod propter dictam ordinationem, incorporationem et gratie factionem nostram nullum preiudicium et incommodum de iure et de facto, quod nunc et quocunque tempore in posterum poterit succitari, nobis et ecclesie Brandenburgensi uolumus gravari, sed secundum nostrum arbitrium et placitum in dicta ecclesia parochiali in Burch plene nobis retinemus potestatem et uoluntatem ponendi et instituendi capitula nostra et cuncta et singula facere, que in parochiis et ecclesiis parochialibus nostre dyoceseos facimus aut in futurum faciemus. Nec non Plebanum seu rectorem dicte parochialis ecclesie, qui pro tempore fuerit in hys, que in similibus et aliis ecclesiis parochialibus nostre dyoc. requiruntur et exiguntur, per presentes nostras literas et presentem nostram ordinationem, protestationem et conseruationem uolumus obligari. Vt autem predicta nostra ordinatio et incorporatio et omnia predicta, sicut a bona uoluntate et liberalitate nostra procedunt, perpetua stabilitate ac sollicitudine ac futuro tempore firma et inconuulsa a cunctis fidelibus habeantur et obseruentur, presens inde priuilegium conscribi precipimus nostrarum ymaginum impressionibus ac sigillorum nostrorum munimine roboratum. Actum et Datum Brandenburg, Anno Domini M. C. C. octauo, duodecimo Kal. Marcii, Pontificatus nostri Frederici antedicti episcopi anno quinto.

Nach einer Copie.